licia incognita sunt, eo tunc temporis, quando
terra nive obtecta, candidissimo quasi vellere, aut nardis-
simo induta ē ~~ind~~ vestimento, ad nostras regiones abduce-
retur, eamq; lacteo depictam candore aspiceret, non sum-
ma animi admiratione, incredibiliq; voluptate
contemplaretur, ac depraedicaret. nec immeritò, cum
ipse David splendidissimum illum prophetarum sidus, divino
numine afflatus Hierosolymam ad ~~divinas~~ Dei laudes
provocet, eò quod det nivem sicut lanam, et nebulam
sicut cinerem spargat. Deinde quid quaeso iucundius ē
quam montes ac colles altius nonnihil assurgentes, pue-
rorum vehiculis plenos intueri? qui miro animi
ardore se invicem provocant scientia equitandi,
et arte singulari superare nituntur, tum longo ordine
per declivitates instar equitatûs instructissimi
devehuntur. ~~alibi~~ Alibi divitum ac magnatum filii
in minoribus trahis, à magnis, generosisq; animi, molossis
quos ornamentis varijs pictis, conchyliatis, elegantibusq;
indumentorum luxu exornant, per urbium compita
circumvehuntur. insuper nobiles, ac principes tyrio
fulgentes apparatu in maioribus vehiculis triumphos quodam-
modo, ac laetissimos dies, tota hyeme peragunt. tum
verò ipsae noctes non minori voluptate, et suavitate
incredibili, quàm ipsi dies transeunt: nam homines
facilè profundo, placidissimoq; somno, et eò quidem
delicatiori, quo mollioribus sepulti plumis consopiti